



## **Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica**

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Beneficiorum Ecclesiasticorum Natvra, Ereptione, Qualitatibvs Ad Ea Obtinenda Requisitis ...

**Leuren, Peter**

**Coloniæ Agrippinæ, 1704**

215. Quæ requiratur ætas ad præbendam, Canonicatum aliúdvē beneficium non curatum, cui sacer ordo annexus est.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74477](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74477)

*rim sine subdiaconales, partim diaconales, partim presbyterales?*

1. Respondeo ad primum affirmativè; nihil enim circa hos Canonicatus innovat aut speciale constituit Trident. Garc. loc. cit. n. 36, & seq. citans declarat. S. Congregationis.

2. Respondeo ad secundum: licet de jure stricto id dici posset, & asseri, Trident. de super nihil innovasse, aut peculiariter statuisse (de quo vide fuse agentè Fagn. in c. cum in cunctis, de elect. n. 51, & seq.) ex pluribus tamen S. Congregationis declarationibus, & observantia datariæ receptum esse in Canonicatibus Cathedralibus, quamvis nullus iis annexus sit ordo, requiri ætatem saltem tantam, ut provifus intra annum promoveri possit ad subdiaconatum. Quòd autem in Germania, etiam sine dispensatione, vel derogatione Concilii tales Canonicatus conferri soleant constitutis non nisi in ætate quatuordecim annorum, id provenire ex quadam particulari consuetudine, quæ ita Concilium hac in parte in ista regione interpretata est ex voluntate Papæ, deducta ex stylo datariæ. C. de Luc. loc. cit. n. 15. citans hæc omnia declarari à Rota in Monaster. Canonicatu 28. Novemb. 1646. coram Ghislerio. & latius in eadem Monast. canon. 10. Junii Anno 1648. decis. 205. ait etiam Laym. in c. cum in cunctis, de elect. §. inferiora. n. 6. constitutionem illam Trident. sess. 24. c. 12. ut omnes Canonici Cathedrales saltem eam ætatem habeant, ut intra annum subdiaconi fieri possint, in plerisque Germaniæ Cathedralibus non omnimodè servari, dum passim assumuntur pueri, qui annum decimum quartum attigerunt, quin & interdum qui annum nequidem duodecimum excesserunt, tamen plerumque Romæ dispensatio impetretur, aut saltem collationis factæ revalidatio, ut perinde valeat, ac si à principio Canonica fuisset. Ex quo tamen non parvum detrimentum Ecclesiis provenire solet, propterea maxime; quòd in ea ætate plerumque non appareat, an qui promovendi idonei futuri sint, & Ecclesiæ utiles; hinc præstare haud dubiè ex Ecclesiæ Cathedralis proventibus portiones non beneficiales decidi pro pueris etiam nobilibus sustentandis in studio literarum, ut ex iis, postquam ad ætatem legitimam devenissent, eligi possent, qui bonis moribus & doctrinâ ornati ad servitium Dei idonei viderentur. Nec obstat, ut idem Laym. olim, seu spectato jure antiquo, post expletum septennium beneficiorum capaces esse habitos; cum circa illa tempora rectâ intentione, & solius servitii divini causâ à piis parentibus pueri offerbantur Ecclesiis, ut in sacro aliquo collegio ad omnem pietatem, & Ecclesiasticos ritus instituerentur; nunc autem liberè vagari, & non rarè malis moribus assuecere permittuntur, donec ad eam ætatem veniant, ut sacrum Ordinem accipere, & capitulares fieri possint. Vide dicenda ex eodem post aliquot quæst. ubi de dispensatione in dicta ætate. Verùm Fagn. in c. cunctis, à n. 70. etiam non reflectendo ad partialem illam Germaniæ consuetudinem absolute docet, quòd ubi nondum facta est istiusmodi distributio à Trident. demandata fieri ab Episcopo cum consilio capituli, servandum esse interim jus antiquum quoad ætatem requisitam ad obtinendos Canonicatus, & præbendas in Cathedrali Ecclesiâ; quidquid in contrarium scripserint Hojedæ de compatib. benef. p. 1. c. 24. n. 6. Lessl. de justit. l. 2. c. 34. dub. 20. n. 106. Garc. p. 7. c. 4. n. 28. Lott. de re, benefic. p. Lauren. Forè Benef. Tom. I.

l. 2. q. 47. n. 82. Et sic non exigi ætatem ad ullum Ordinem sacrum requisitam, sed sufficere quatuordecim annos completos, ut habent AA. in c. super inordinata, de præb. citat Fagn. declarationem S. Congregationis, refutatque contrarias in hac re ejusdem Congregationis declarationes adductas à Garcia,

*Quæstio 214. Num quæ jam dicta sunt de ætate requisita vi concilii Trid. ad Canonicatus Cathedrales vel alios, aliave beneficia teneant, si fundator in fundatione voluisset sufficere minorem ætatem?*

Respondeo negativè, Barb. Paxjord. Castrop. Pass. citati ad q. 1. hujus §. poterit enim fundator quascunque conditiones in limine fundationis apponere. c. præterea, de jurepat. nec respuenda est lex fundationis mandans puerum, imò infantem in beneficio juris patronatus institui Lott. l. 1. q. 32. n. 35. Corrad. l. 4. c. 6. n. 23. Idem dicendum puto in beneficio, quod fundator absque jure patronatus deinceps viæ electionis voluit obtinere. Porrò valet hoc ipsum, licet fundator non nisi tacitè id ipsum voluisset, mandando v. g. præsentari Clericum, modò facta sit fundatio ante Concilium Trid. quia tunc poterat institui minor quatuordecim annis Corrad. ibid. n. 24. secus si facta post illud, tunc enim si fundator uteretur his terminis: præsentetur Clericus, subintelligendum foret, dummodò habeat ætatem quatuordecim annorum requisitam à Concil. cujus tunc valebat dispositio, cui proinde se conformare voluisse censendus est in dicto casu fundator. Corrad. ibid. cum regulare sit, dispositionem hominis regulari in dubio cum dispositione legis, cui se conformare voluisse censetur. l. consuevitur. ff. de jure codicil. & voluntatem testatoris limitari per juris communis dispositionem. Quòd si tamen etiam post Concil. Trid. fundator expressè sic disposuisset, ut etiam minor quatuordecim annis possit obtinere à se fundatum beneficium, standum erit huic voluntati, cui Concilium non derogat. C. de Luc. disc. 5. de Canonicis. num. 7.

*Quæstio 215. Quæ requiratur ætas ad præbendam, Canonicatum, aliudve beneficium non curatum, cui sacer ordo annexus est?*

Respondeo: illa, quæ ad suscipiendum talem Ordinem infra tempus à jure statutum est necessaria, v. g. si Canonicatus est subdiaconalis, requiruntur viginti & unus annus; si diaconalis, viginti duo; si presbyteralis, viginti quatuor. Trid. sess. 24. c. 12. de reform. Non tamen requiritur ætas dictorum annorum completorum, pro tempore electionis vel collationis, sed sufficit eos ita inchoatos esse, ut intra tempus, quo à jure, vel statuto suscipiendus est Ordo, compleri possint, v. g. sufficiet annum vigesimum primum ita inchoatum esse, ut infra annum ab obtento canonicatu subdiaconali inchoari possit annus vigesimus secundus. Fagn. in c. cum in cunctis. num. 41. & 42. Ugol. p. 1. c. 19. num. 1. Paris. de resign. benef. l. 4. q. 9. num. 11. Riccius resolut. 239. Pass. loc. cit. n. 419. Barb. & Gonz. LL. cit. Laym. in cap. cum in cunctis, de elect. §. inferiora. num. 5. citans Azor. p. 2. l. 6. c. 5. q. 5. Abb. in c. dudum, de elect. n. 12. contra Garc. Paxjord. Lb. cit. Neque aliud intelligit Trid. sess. 22.

c. 24. per rō integrè habere aetatem; ut rectè arguitur ex verbis ejusdem Concil. *sess. 24. c. 12. de reform.*

*Questio 216. Quae aetas requiratur ad obtinendam dignitatem in Ecclesia Cathedrali, vel Collegiata, cui annexa non est cura animarum?*

1. **R**espondeo ad primum: ad talem dignitatem recipiendam in Ecclesia Cathedrali (etiam si ea esset primaria *Fagn. loc. cit. n. 49.* vel etiam cui accessorie in perpetuum unitum esset beneficium curatum. *Idem n. 38.*) ratione præcisè dignitatis (si enim annexum habet sacerdotium, aliter statuendum est ratione hujus Ordinis *Fagn. loc. cit. n. 40.* quamvis tamen etiam *num. 43. & seq.* distinguat inter dignitates, quibus annexus est de jure communi v. g. Abbatia, Decanatus, Præpositura, Archipresbyteratus, & de prioribus concedat requiri annum vigesimum quintum; de posterioribus tamen etiam tunc id neget) requiri, ut quis non sit minor viginti duobus annis *Trident. sess. 24. c. 12. Lott. l. 2. q. 49. n. 25.* loquens in genere abstrahendo, an sint dignitates in Cathedralibus, an in Collegiatis, & idem esse dicens contra Majolum *de irreg. l. 1. c. 30. n. 10.* (qui ad eos requirit annum vigesimum quintum) de personis, quibus nulla cura animarum subest, non obstante textu *c. dudum*, ubi dicitur, quòd beneficia habentia curam animarum, & personatus pari passu ambulent: dum æquiparatio illa non procedit respectu ætatis, sed incompatibilitatis, ut *Lott. n. 27. ex Host. & Bellam. in c. præterea, de aetate & qualitat.* In quo autem differat personatus à dignitate, vide apud *Lott. l. 1. q. 16. à n. 50.* iisque non tantum inchoatis, sed completis, uti id illa ipsa forma loquendi: *non minor viginti duobus annis*, satis indicat, *Barb. de off. Ep. alleg. 69. nu. 86. & de Canonis c. 13. n. 22. & ad Trid. loc. cit. n. 12. Garc. loc. cit. n. 70. Less. loc. cit. c. 34. n. 108. Pass. num. 423. Navar. l. 1. conf. 4. de aetate & qualitat. contra Azor. loc. cit. q. 3. Sa. v. beneficium num. 31. Henriquez in sum. l. 14. c. 10. §. 10.* Porrò qui ad primam dignitatem in Cathedrali, puta Præposituram vel Decanatum, requirunt viginti quinque annos, supponunt regulariter ei annexam esse curam animarum in foro interno vel externo, vi saltem jurisdictionis, ut *Pass. loc. cit. n. 431. Garc. p. 7. c. 4. n. 65. vel sacerdotium, ut Idem n. 73. & sic ex his solum capitibus viginti quinque annos requirunt. Unde sequi videtur, si prima dignitas vi consuetudinis, vel aliunde non esset curata, nec sacerdotalis, sufficere ad eam annos viginti duos.*

2. Respondeo ad secundum; idem quoque dicendum esse de dignitatibus talibus in Ecclesiis Collegiatis *Fagn. c. cum in cunctis. n. 48. & seq. Garc. loc. cit. n. 60. Pass. n. 425. Castrop. loc. cit. num. 7. contra Paxjord. loc. cit. n. 15. Gonz. loc. cit. gl. 9. n. 92. Piafec. in praxi Episc. p. 2. c. 5. n. 25. Barb. loc. cit. Card. de Luc. num. 18.* qui omnes putant præsciudendo à statuto speciali, legitimam consuetudinem, aut lege fundatoris, sufficere annos 14. citat utraque pars horum AA. pro se decisiones S. Congregationis, ut videre est apud *Garc. Tametsi enim Trid. loc. cit. meminere solum Ecclesiarum Cathedralium, ex eo tamen quòd dicat præsertim de Cathedralibus, & non specificet, nec limitet illam suam dispositionem ad Cathedrales, intelligi debet universaliter, cum*

*Tò præsertim sit dictio implicative, adeoque hic implicet quoque Ecclesias Collegiatas Pass. loc. cit.*

*Questio 217. Quae aetas requiratur & sufficiat ad dignitates inferiores Episcopatu, & beneficia habentia curam animarum?*

1. **R**espondeo: Viginti quinque inchoative, seu ut loquitur *Trident. sess. 24. c. 12.* ut quis annum vigesimum quintum attigerit; incepisse enim annum vigesimum quintum est illum attigisse. *c. licet. de elect. in 6. c. in cunctis, cod. t. ibidem. Abb. loquuntur autem hi Textus universaliter adeoque hoc ipsum intelligendum de omni beneficio curato Castrop. loc. cit. n. 120. Rebuff. de pacif. possess. n. 181. Garc. loc. cit. c. 7. n. 41. Menoch. remed. 15. n. 442. Barb. ad c. in cunctis. n. 34.* Quale est illud, cui cura animarum per se incumbit, dum enim solum unitum, aut incorporata est parochialis accessorie Canonici v. g. vel Præpositura, sufficit aetas pro beneficio hoc principali requisita, cum, ubi beneficium accessorie unitum est alteri principali, attendatur ad naturam & conditiones beneficii principalis, non accessorii *Card. de Luca de benef. d. 95. num. 13. Laym. ad c. licet Canon. de elect. n. 1. vide Azor. p. 2. l. 6. c. 3. q. 2.* Et à fortiori quidem de iis dignitatibus, quæ habent ordinariam jurisdictionem, quasi Episcopalem cum territorio separato, ita ut exceptis, quæ sunt Ordinis Episcopalis, in omnibus partes Episcoporum gerere videantur *Card. de Luca loc. cit. n. 17.* ubi etiam ait non incongruum in iis requirere aetatem requisitam ad Episcopatum.

2. Idem intelligendum de Vicariis perpetuis Ecclesiarum parochialium, quin & de Coadjutoribus, in quibus eadem, quæ in principalibus requiritur aetas *Castrop. loc. cit. n. 13. citans Azor. Gonz. Garc. num. 90.* Ac denique id intelligendum de omnibus habentibus spirituales jurisdictionem, etiam si sit solum fori externi, tenent *Barb. ad cit. l. Trid. num. 2. & de Canon. c. 13. nu. 20. Navar. loc. cit. Fagn. loc. cit. num. 32. Lott. l. 2. q. 49. n. 24.* dicens id procedere, si habeat curam fori conscientia, si ve curam jurisdictionalem tantum, eò quòd beneficium, etiam ex hoc solo dicatur curatum, quòd vi illius possit quis infligere censuras, & pœnas spirituales, & præceptis dirigere subditos in iis, quæ ad religionem spectant, juxta *c. dudum, de elect. & Abb. ibidem. n. 7.*

3. Atque ita jam non sufficit aliquem habere istam aetatem, ut intra annum fieri possit Sacerdos, sed erit electio aliæ promotio ad dicta beneficia nulla, si facta est ante expletum annum vigesimum quartum. Verum quæ id est, etiam si quis, etiam per dispensationem, ordinatus esset ante annum vigesimum quartum Sacerdos, cum dispensatio sit stricti juris, adeoque facta quoad aetatem in ordine ad Ordinem suscipiendum, facta non sit in ordine ad beneficium curatum. *Barb. loc. cit. n. 34. Navar. l. 1. conf. 7. de aetate & qualitat. apud Bass. cit. c. 25. num. 432.*

Porrò in ætate ad beneficia curata Episcopus dispensare non potest. *Barb. loc. cit. Selva de benef. p. 2. q. 3. num. 32. Imol. in Clem. 1. de statu Monach. n. 34. Corral. de sacerdot. p. 3. c. 3. Pass. n. 431. Laym. ad c. permittimus. de aetate & qualitat. in 6. contra Host. in summa ejusdem cit. n. Archid. & Gemin. quos citat contentes, Episcopum dispensare posse in ætate, etiam circa dignitates curatas, si adit rationabilis causa, aut Ecclesia utilitas.*

*Questio*